



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt X. Mandata Lunensi tradita à Philippo Rege. Prorogatio Seßionis ad vndecimam Septembris. Responsum Caesaris redditum suis Oratoribus, & Morono, de articulo Principum laicorum, & de reliquis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

audit cum re indecora collatum, ad primum sonum id sibi vertit
 contumeliæ, quamuis non semper collatio in malignam exempli
 conditionem cadat. Lainius quoque cum appellaret conscientias
 appetentium nouum Decretum reddens irrita coniugia, *minus ra-*
tionis consentaneas, hoc est, minus æquas, à quodam Oratorum velli-
 catus est. Post multa colloquium finem parum decorum habuit,
 & omni fructu vacuum, pro eo ac huiusmodi disputationes termi-
 nari solent; cum opportunior sit ad veritatem detegendam inter
 discordantium ingeniorum dubitationes umbra domesticorum
 sermonum, quam solemniū disceptationum lux. Et in arboribus
 pariter vsuuenit, vbi maior est frondium pompa, minorem fru-
 ctuum maturitatem haberi.

C A P V T X.

*Mandata Lunensi tradita à Philippo Rege. Prorogatio Sessionis ad
 vndecimam Septembris. Responsum Casaris redditum suis Ora-
 toribus, & Morono, de articulo Principum laicorum, & de
 reliquis capitibus reformatis.*

Peruenerat id temporis ^a tabellarius Regis Catholici ad Ora-
 torem Hispanum, qui postea Legatos inuisens, generatim lo-
 cutus est de postulatis sibi iniunctis, quod erat indicio, ea nec
 multa esse, nec grauias; qui enim viæ plurimum cupit conficere,
 haud lentè se mouet. Retulit, plenè satisfactum fuisse Regi per
 anteaactam Sessionem, & per habitum in ea ipsius respectum, indi-
 cans rationem inlitam in litigio locorum honorumque cum Gallis.
 Acquieuisse Regem syngraphæ, à Legatis traditæ Oratori de parti-
 cula, *proponentibus Legatis*: eundem nunc cupere, vt ea particula sine
 vlla mora declararetur, ob rationes, quas scripto ipsis osten-
 disse.

^a Litteræ Le-
 gatorum ad
 Borrom. 9. &
 10. Septem-
 bris, 1563.

Responsum illi est: Parum loci superesse ad id verborum operâ
 declarandum, dum facto exercebatur, relictâ liberè proponendi
 facultate Oratoribus, vt videre erat in postulato Gallorum de ma-
 trimonio clandestino, & Venetorum de Græcorum consuetudine;
 se tamen traditum scriptum perlecturos. Eidem aperuerunt neces-
 sitatem tradendi Patribus cunctos articulos triginta sex, ac præci-
 pue articulum de Principibus laicis, tametsi de vno supra viginti
 tunc agendum esset; nec Lunensis repugnauit. Id itaque effe-
 ctum

Pppp 2

Orict.

1563.
 & Acta Pa-
 leotti eo die.

e Acta Pa-
 leotti 11. &
 litteræ Lega-
 torum ad
 Borrom. 14.
 & Iadrensis
 13. Septem-
 bris, 1563.

d Litteræ
 Borrom. ad
 Legatos
 1. Septem-
 bris, 1563.

e Acta Sal-
 manticensis
 duobus
 in locis, &
 alij Com-
 mentarij ci-
 tati.

f Acta 15.
 Septembris
 1563.

ctum est, quò impleretur promissio, solemniter à Legatis habita in primo vniuersali cœtu de reformanda disciplina^b, vndecimâ Septembris.

Postridie quàm Lunensis sermonem habuit cum Legatis, res³ accidit, quæ argumentum præbuit obloquendi & in Comitibus violentiam^c & in Præsidium libertatem. Hispaniæ Capitula Tridentinum miserant multò antea, sicut ad rem aliam indicatum est, quemdam Patraliam, Canonicum Segouiensem, procuratorem suum, immunitatem ab Episcoporum auctoritate, ab ipsis possessam, defensurum; ad quam abrogandam rescitum fuerat illius Regni Episcopos adspirare. Iam verò cum is numquam fuisset admissus in Conuentum ad sua postulata proferenda, codicillum Pontifici^d deferendum curauerat, quo illum orabat, vt ipsius causam Concilio committeret, seque audiri iuberet. Pontifex negotium salebrosum intelligens, nolensque deliberare de re à conditionibus pendente, quas præsentium oculi solùm intueri poterant, merum codicillum, nullo ipsi adiecto rescripto, ad Legatos misit. Interim mandata à Rege Catholico ad Lunensem peruenerunt, vt is procuratorem illum compelleret ad discedendum Tridento, bonorum omnium, quæ ab eo in Hispania possidebantur, iacturam comminatus^e: quod ne ab Hispanis quidem Episcopis plenè comprobatum est, sed à reliquis admodum improbatum. Ea verò denuntiatio habita Patraliam ad discessum coëgit. Patrum multitudini, quæ vires ratione metiebatur, visum est, esse Legatorum munus sese opponere, & conseruare liberum illum Synodi statum, quem Principes ore postulabant, & manu violabant. Sed Legati haud ignari, quamquam semper nefas sit mala patrare, nefas non esse, quin & laudabile, nonnumquam ea permittere, ne maiora bona præpediantur, noluerunt vt ab accidente rei substantia corrumperetur, seque apud crassiores homines excusarunt ratione crassiore, dicentes, huiusce violentiæ nihil apparere in Actis, neminem ad ipsorum Tribunal confugisse, adeoque se non obstringi ad eam causam agendam. Non tamen destitere à querela apud Lunensem; qui deserto Regis mandato, & quia res amplius non esset integra, se purgavit. Quamobrem arbitrati sunt, sibi aliud non licere, nisi cuncta significare Pontifici, sine cuius aperta voluntate haud expedire censebant, vt ipsi periculofam aleam iacerent ad rem obturbandam.

Interim in opus præcipuum incumbentes^f, & conspicati, studia omnia, ad celebrandam Sessionem die 16. Septembris, impensa in irritum casura, die decimo quinto Moronus in hanc sententiam allo-

alloctus est Patres : Conatum omnem adhibitum à Legatis fuisse, 1563.
quò Sessio præscripto die celebraretur, intelligentibus, tanto id
honori futurum, quanto dedecòri cunctationem; sed rem confici
non posse, sicut ex se patebat, cum adhuc inter Patres superessent
graues controuersæ de matrimonio, & nondum satis digeri po-
tuissent emendationis articuli. Arbitrari Præsides, functionem ad
S. Martini festum transferendam: nam interim licuisset quod su-
pererat de dogmatibus expendere, nimirum, de Imaginibus, de Pur-
gatorio, de Indulgentijs, & de Monachorum votis. Responde-
rent igitur Patres id quod ipsis agendum videretur.

5 Lotharingus dixit; Eiusmodi prolationem sibi permolestam ac-
cidere; solatio tamen sibi esse, quòd illius temporis spatium infu-
meretur maximo cum fructu, vbi tandem vera ac perfecta morum
reparatio in Concilio stabiliretur. Par esse, vt ea ab ipsis initium
ducat, quòd liberius postea ijsdem liceret alios corrigere; idcirco
reformandos esse Cardinales, Episcopos, Parochos, Regulares, au-
ferendos abusus coniugiorum, & commendarum; dein verò ad
laicos Principes descendendum. Reliqui etiam responsum hoc am-
plexi sunt, exceptis triginta.

6 Nec destiterunt in hoc ipso minùs periti in Præsides de more
obloqui, cum ad res ab Optimatibus gettas damnandas, animosio-
res iudices nulli sint, quam ij qui causæ seriem prorsus ignorant.
Voluisse Legatos, & Moronum præcipuè, gratificari Principibus
moræ cupidis, Patresque Tridenti per hiemem retinere, vt proin-
de postea Transmontanis haud liceret ad reditum animum adijcere,
adeoque ad Synodum ante vernum tempus absoluendam: Sessio-
nem celebrari oportuisse, & in ea Decreta edi saltem super argu-
mentis iam expensis de Matrimonio; de quibus si quis maiori parti
repugnasset, habenda de ipso ratio non fuisset: edoctos iri hoc im-
becilli animi exemplo Principum Oratores oblectari cuiuscumque
deliberationi sibi molestæ, tametsi à pluribus comprobata, dum-
modò conspicua Patrum cohors, quæ numquam defecisset, ipsos
tueretur.

g Cuncta in
Actis Pa-
leotti.

7 Sed res prorsus è diuerso se habebat, nec enim quispiam, siue Ora-
torum, siue Transmontanorum, consensisset vquam dogmatum
sanctioni, nisi disciplinæ legibus associata, pro Decreto ac more per-
petuo illius Concilij, ob suspensionem, ne illà confecta Conuentus
infectis reliquis dimitteretur. Quapropter Oratores Cæsaris^h, au-
dito huiusmodi quorundam consilio celebrandæ Sessionis, cum
ceteris omnibus Oratoribus ad illud impediendum conspirauerant.

h Litteræ
Oratorum
ad Cæsarem
14. Septem-
bris 1563.

1563.

Et quamuis etiam hoc obstaculum superari potuisset, sancitis vna nonnullis ex legibus magis expensis, magisque acceptis, ipsa Matrimonij capita decerni non poterant, quando duo Legati, Osius & Simonetta, & cum ipsis Madruccius, tam acriter adnitebantur ne clandestinum irritum declararetur, quamquam communis consensus contrariæ parti faueret, vt compluribus Patribus denuntiarent, velle se ad Pontificem prouocare, vbi ad Decretum deueniretur, nondum ipsis ob adductas rationes acquiescentibus. Quare ad hæc absurda, ac præsertim ad prorogationem, deuitanda, fuerat habitus Theologorum conuentus, de quo iam diximus, ad concordiam ineundam, tamen non sine querimonijs Oratorum¹, Decretum illud cupientium, quasi per hanc nouam perichitationem detrimentum inferretur sententiæ, à maiori Patrum numero iam tertium prolata. Quod si differri Sessionem oporteret ad breuius tempus, id fieri non poterat, cum enim vellet Lotharingus interim Romam petere, necesse erat, vt eius reditus, eorumque quæ cum Pontifice acturus erat, conclusio expectaretur, ad quod mensuratum saltem spatio opus erat, quod ille pariter postulabat; postea vero², vt cum eo de cunctis articulis conueniretur, quod res tutius procederet.

¹ Prædictæ
Oratorum
ad Cæsarem
litteræ.

² In iisdem
Oratorum
litteris.

³ In iisdem
litteris.

Cæsarianis aliàs tam sollicitis ad sua postulata proponenda, nunc nulla suppetebat causa alienæ prolotionis incusandæ, sed excusationum penuriâ laborabant, ob moram ab ipsis iniectam: iam non decem modò, sed sexdecim dies fluxerant, postquam tabellarius ad Cæsarem profectus fuerat, responsis vacui¹, quod ipsis permolestum accidebat, aded vt ad illum scripserint, à se vndique huiusmodi querelas audiri: Progressum libertatemque Concilij à Principibus impediri, ipsos Præsulum mansionem velle, sed simul nolle vt fortiores mansionis obices amouerentur: Conniti, vt Ecclesiastici cuiuslibet conditionis reformarentur, sed in se refulare earum rerum emendationem, quæ omnem ordinem Ecclesiasticum potissimè deformabant ac perturbabant. Et quamuis nullus Principum per eas voces nominaretur, satis tamen intelligebatur quemnam peteret ipsarum aculeus. Addebant, Patres à verbis ad facta progressos, negasse, velle se sententias dicere de reliquis, nisi articulus ille regrederetur: ægrè tandem acquieuisse disertis promissis Præsidorum illius reponendi intra triduum, pro eo ac re ipsa perfici conuentum erat; aded vt Patriarchæ, qui priores dicebant, ideoque intra triduum locuti fuerant, contestarentur in cætu, tamquam indicta putanda esse quæ in reliquum dicerent, vbi Legati promissa

promissa non perfecissent. Hinc à Cæsare Oratores petere, ut re-
sponsi moram præcideret, & argumentum querelæ. Ita scripserunt:
nec parum proderat, quòd cum duo ex illis & personam Oratoris
& Episcopi munus gererent, vtriusque respectus sese inuicem tem-
perabant, adeoque eiusmodi in conditione temperatio sincerita-
tem in cognitione præstabat. Sed postridie mane quam litteras
miserant, eo nimirum die quo Sessio prorogata est, Tridentum
rediit tabellarius cum Ferdinandi responsis tum ad priores litte-
ras, quibus mutati articuli fuerant illi expositi, tum ad poste-
riores, quibus Oratores ipsum edocuerant de ijs quæ cum Le-
gatis egerant de retardando articulo, quo Principes restringe-
bantur.

1563.

m Litteræ
Cæsaris ad
Oratores
Polsouia 4.
& 5. Septem-
bris, quæ
Tridentum
peruenere
15. Septem-
bris. 1563.

9 Quod spectabat ad priores, ostendebatur, mutationes sibi vni-
uersè placuisse; varia tamen obseruabantur, quorum præcipua
asseremus.

In secundo articulo auferri singulis immunitatem adeundi Syn-
odos Metropolitanas, sed exceptis ijs qui generalibus Conuen-
tibus Regularium subdebantur; ac de ipsorum immunitate sermo-
nem pariter haberi in vigesimo octauo. Plenæ huiuscemodi im-
munitati locum fortasse concedi posse in alijs regionibus; at verò si
in Germania (vbi grauis Generalium visitantium negligentia de-
prehendebatur, præsertim ob longam monasteriorum distantiam,
ac sæpè ob idiomatum varietatem) ea monasteria ab Episcoporum
inspectione redderentur immunia, perniciosissimum id futurum.
Quapropter statuendum esse, vt in hoc illa subijcerentur, saluis de
cetero ipsorum priuilegijs.

10 In tertio prohiberi Templorum dominos, ne sese ingererent in
ea quæ ad fabricam & sacrarium spectarent; sed eam procuratio-
nem, quam illi exercebant in Germania, valde conducere aduersus
rectorum desidiam.

11 In decimo quarto haberi, vt inopiæ indigentium Episcoporum
consuleretur varijs modis, non tamen ex bonis monasteriorum,
in quibus regularis obseruantia vigeret, seu quæ Capitulis genera-
libus, aut certis hominibus, qui ea inuiserent, subiacerent: putare se
id pariter intelligendum de Episcopatibus de nouo erigendis. Ve-
rùm id opponi ex aduerso animi sui proposito: etenim cum in Ger-
maniæ cœnobijs adeò imminuta sit non modò disciplina, sed nu-
merus, absque remedij spe, ignorare se quænam alia bona possent
aptius impendi ad varia pia opera, ac præcipuè ad reparandos
dotandósve Episcopatus: sibi in animo esse, hoc pacto nouos
con-

Oricl.

1563. constituere; ita tamen ut Apostolicum consensum prius deposceret.

In articulo decimo nono, ubi declarabatur, opus esse causam gravitate tum cognitione, ad legem relaxandam, sublatam fuisse particulam, quæ in priori forma inerat, hoc est, ut rarò leges relaxarentur; optare se, ut ea particula reponeretur. Ex quo, & ex tot Principum Præfulumque clamoribus, postea in Concilio excitis aduersus huiusmodi relaxationes, licet arguere, quam iniquè postmodum iisdem conquerantur, cum Pontifices ad ea laxamenta difficiles experiuntur. Sed nouum non est hominem in vniuersum cupere quod in peculiaribus displicet: siquidem vniuersale conditionibus nudum est, & peculiare semper illis conuenit, quodque in eo displicet, non corpus, sed vestis est.

Responsum postea reddebat Cæsar alijs litteris ad se scriptis: De Collegio Cardinalium sibi æquum videri, ut illud ad viginti quatuor ordinarios, & duos supra numerum limitaretur.

Diploma, quo Pontificia Comitia reformabantur, sibi probari solum à se insuper desiderari id, de quo Moronus Legatus sibi spem fecerat Oeniponti, illud promulgandum esse sacræ Synodo comprobante, quò firmius persisteret.

Quoniam autem Oratores voluntatem illius explorant de petendo usu Calicis, & sacerdotum coniugio, ipsis significabat, accitos à se fuisse Viennam Consiliarios Septemuirum ac Principum, & post maturam deliberationem propendisse ad vtrumque petendum non à Concilio, sed à Pontifice; atque ea de re mandatorum exemplar ipsis mitti; sed cum de argumento nondum firmato ageretur, illud nemini, excepto Lunensi, communicarent. Unde in primis confirmatur quod à nobis alibi ostensum est, pollicitis, clariore subinde probationes adductum iri, per quas mendax deprehendatur Suauis, affirmans, postquam Synodus in Pontifice reposuit Calicis concessionem, Cæsarem tacuisse, quippe quod populi eam à Concilio, non à Pontifice cupiebant. Præterea credibile hinc est, cum Cæsar ostenderet se ad eò Lunensi fidere, hunc alios ab Hispanis sensus patefecisse; quemadmodum contingit, ut qui diutius in aliqua regione commoratur, linguam patriam etiam nolens cum domicilij lingua commutat.

De postremis Oratorum litteris indicauit Ferdinandus intimam animi molestiam, ex eo quod Moronus dixerat, Cæsarem aduersarium fuisse libertati Concilij, quoniam obstiterat, ne Decreta illa de Principibus laicis proponerentur, aduersus quam idem antea signif-

significarat. Respondebat, Verum quidem esse, reformandis Ecclesiasticis semper se instituisse, simulque spondisse, daturum se vicissim operam ut laici reformarentur: sed si Legati annum integrum de alteris quæ ipse proposuerat retardarant, non intelligi à se, quàm æquè illi dolerent, quòd ipse confestim manus haud porrexerit ad excipiendum eorumdem Decretum de alteris, spatiumque ipsi circumscriperint decem dierum, computatis duobus tabellarij itineribus, ad deliberandum de articulo & sibi & cunctis Principibus tam ponderoso. Si Concilij exitus non adeò immineret, licuisse sibi rem conferre cum Imperij Principibus, absque quorum consilio numquam sibi in animum induxisset quidquam statuere, ne postea non sine sua indignitate recidisset in irritum quod ipse acceptasset. Ad Legatos igitur rationes hæc Oratores deferrent, eosque rogarent, ut in aliud tempus tanti ponderis articulum transferrent, donec cum omnibus Christianæ Reipublicæ Principibus de eo agi posset. Quod si Legati in voluntate illius proponendi persisterent, Oratores adjicerent, ipsum numquam destitutum ab iterata petitione spatij sufficientis, quod ubi denegaretur, intendere se, salvas sibi excusationes ac iura sua superesse. Velle se hac uti potiùs ratione, quàm contestari, quòd moderationem ac benevolentiam suam custodiret. Cùm autem Archiepiscopus Pragensis ad Cæsarem scripsisset, excusationes à Morono habitas fuisse ob inflammata responsa ipsi priùs reddita, præ se gerebat Cæsar animum pacatum, simulque iniungebat Pragensi, ut quæ par erat modestiã vteretur erga Moronum. Denique ipsum iubebat cuncta cum Lunensi communicare.

17 Idcirco eodem die, antequam Legati confessum adirent ubi Sessio prorogata est, ipsis exposuerunt Cæsariani responsa & mandata Ferdinandi: sed Legati sese excusarunt, monentes, id quod Oratoribus compertum erat, à se, necessitate compulsis, triginta sex capita, & inter ea, quod ad Principes spectabat, Patribus fuisse iam tradita: rem non ampliùs in ipsorum potestate sitam esse: licere Oratoribus epistolam Cæsaris ipsis Patribus recitare, & quid illi vellent, intelligere. Cùm autem opponerent Oratores, id sibi interdici ob particulam, *proponentibus Legatis*; hi responderunt, complures iam ex Oratoribus proposuisse, & se suo iuri in eo renuntiare: sed Oratores, gnari quanto difficilius multi quàm pauci flectantur, adiecere, Se non habere in mandatis nisi ut cum Legatis agerent, ac certum spatium petierunt, intra quod de illo articulo sileretur. Ad id Legati: Non licere sibi hoc ipsum polliceri, nisi

Pars III.

Q 9 9 9

nisi

1563. nisi tantisper dum priora capita viginti & vnum expenderentur. Oratores verò, quò post suauia, etiam auftera experirentur, Legatos perstrinxere, communem audiri querimoniam, quòd Hispanica Collegia Ecclesiastica dimissa fuissent inaudita, & in præfentia Christianos omnes Principes pariter inauditos esse damnandos.

¶ Littere Cesaris ad Oratores & ad Moronum Possouia 12. Septemb. 1563.

Die postero alter tabellarius ⁿ nouas Ferdinandi declarationes attulit aduersus articulum de Principibus. Misit ille suos ad Oratores responsum, redditum epistolæ Moroni, à Nuntio sibi postea delatæ, in qua Legatus amplioris obsequij & efficacitatis gratiã eas excusationes significationeq̃ue per se ipsum exhibebat, quas per Oratores exposuerat. Ad ea Ferdinandus rescripsit per humanissimam amoris & æstimationis formulam, A se in optimam partem accepta fuisse & eius litteras & Decretum à Legatis digestum, nec in animo sibi esse, Synodi libertati, & Ecclesiæ immunitati aduersari: sed præter ea, quæ iam ipse ad Oratores scripserat, quando Moroni epistola rem attingebat, opportunius à se duci suum aliquem sensum adijci. Idcirco illi redigebat in memoriam, iam centesimum annum esse, nimirum ex eo tempore quo adhuc omnes Catholici persistebant, cum agitata fuisset eiusmodi quæstio, prout constabat ex multis libris, siue manu scriptis, siue per typos editis; adeoque quòd tunc nihil statueretur, argumento esse, laicos studuisse sua iura probare. Valdè igitur mirum sibi videri, quòd nunc per vnicum mensẽ tantum negotij decisio, & veluti securis ictu obtruncatio tentaretur. Tueri postea conabatur Ecclesiasticorum obligationem in Germania conferendæ pecuniæ ad sumptus publicos necessarios, & subiacendi in quibusdam certis causis Imperij tribunalibus: atque ita de suis ditionibus hæreditarijs proportionem differebat, Consuetudinem adducens, quavis memoriã vetustiorẽ, & constitutiones, eorundem Ecclesiasticorum interuentu sancitas. Esse præterea animaduertendum, ab his possideri in Germania & prouentus & prædia, & iurisdictionis prærogatiuas, ampliora quàm in vlla alia Christianæ Reipublicæ prouincia. Si articulus ille sine diuturno consilio, & citra declarationem firmaretur, non modò nullam accessionem habiturum in ea regione ordinem Ecclesiasticum, sed in extremum odium cum horrendæ cladis periculo casurum. Utinam præfens hominum conditio ea esset, vt restitutas antiquæ seueritatis leges, tum Ecclesiasticis tum laicis, pati posset. Nihil sibi magis in votis esse, quàm illius ætatis ferrum in aurum pristinæ conuersum spectare: sed conditione temporum perpensã vereri se, ne perinde foret

id tentari, ac oleum & operam perdi. Si placuisset Episcopis statum suum sanctè reformare, se quoque usurum fuisse omni liberalitate in controuersijs inter ipsos, & suam Cæsaris aut Archiducis Cameram; seque polliceri vniuersè probum Ecclesiæ patrimonium futurum. Vilam à se fuisse postremam formam reconcinnatam, & præter ea quæ significarat Oratoribus, sibi admodum probari Decretum de Principibus in breuius redactum, mutatis quoque superioris scripti fulminibus in vniuersalem paternamque monitionem. Grates denique agebat Morono, ob adhibitam ab eo operam cum Pontifice pro filio suo Romanorum Rege, & patria vicissim offerebat. Ita simul haud flexibilem animum, simul comitatem præ se ferens, studuit vnà spem Legatis adimere ipsius permouendi, & repugnantiam ipsis cedendi, quarum altera litigatores firmat utilitate, altera dignitate.

C A P V T XI.

Propitia Grimano Patriarchæ sententia. Lotharingus Romam profectus. Commendonus in Poloniam missus. Vicecomes accitus à Pontifice, & mandata ipsi à Legatis tradita.

PRÆTER hæc negotiosas litteras ad viros publicos, alteras ad priuatum Ferdinandus scripsit, videlicet ad Grimanium. Magno is in pretio propter varias animi dotes apud Principes erat. Quare post dictas in ipsius causa sententias, Lotharingus per opportunitatem in responsis post triduum ^a Pontifici redditis, Grimanium ipsi commendarat, eumque certiozem reddebat de concordia iudicio in absoluendis ab omni nota incusatis Patriarchæ litteris; Pontificem rogans, vt Purpurâ ab ipso destinatâ, & ob hanc solùm suspensionem retentâ, hominem cohonestaret. Grimanius etiam ^b rogarat Ecclesiasticos Cæsaris Oratores, qui aderant inter iudices, vt successum Ferdinando significarent, in cuius conditiones Patriarchæ iurisdicção longè protendebatur. Quapropter Cæsar, vtpote humanitate præstans, amicæ gratulationis litteris illum honorauit, quæ incredibile est quantâ voluptate non modò Grimanium, sed Venetum Oratorem affecerint. Huiusmodi monebant Principes obtinent, nullius ipsis impensæ, & summæ accipientibus æstimationis, eam si moderatè expenderint, nec ipsam prodigè largiendo cuicumque illius auido, nec tenaciter denegando illam promerentibus. Supererat, vt solemnî ritu sententia proferretur, ad cuius formam conficiendam denuò coactus est

Q q q q 2 cœtus

1563.

Orict.

^a In prædicta epist. 6 Augusti 1563.

^b Apparet ex litteris Ferdinandi ad Oratores 4. Septemb. & ex Oratorum responsis 18. Septemb. 1563.